



Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

§. 4. De Exequiis defuncti Pontificis, iisque quæ ante clausuram Conclavis
fiunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

à Magistro Cæremoniarum in interiore parte Conclavis.

7. Ad Scalam Palatii Apostolici versus aream exteriorem, uti & ad primam januam inferioris atrii, atque etiam ad Scalam, per quam descenditur ad Basilicam S. Petri septum ex afferibus exstruitur, quod Helveti Excubitores Summi Pontificis custodiunt.

§. 4.

De Exequiis defuncti Pontificis, iisque quæ ante Clausuram Conclavis fiunt.

1. Exequia celebrantur novem diebus. Qui sumptus in iis fieri possint.
2. Tempore exequiarum exponitur cadaver.
3. Quotidie habetur Congregatio in Sacristia S. Petri.
4. & 5. In qua diversi eliguntur Conclavistæ.
6. Eorum aliqui per secreta suffragia.
7. Et in majori numero quam olim.
8. Nono die dicitur panegyricus defuncti.

I.

PER novem continuos dies celebrantur Exequiæ pro defuncto Pontifice in Basilica Vaticana, quibus interfunt Cardinales Romæ præsentés, qui impediti non

non fuerint. Si forte in illis novem diebus festum aliquod ex præcipuis incidat, ob quod exequias intermittere Cardinalibus videretur; hoc casu in numero quidem novem dierum exequiarum intermissarum dies computantur: verum impensæ, quæ in omissis exequiis faciendæ essent, in pauperes Christi juxta Pii IV. Constitutionem distribuendæ sunt. *Cærimoniale.* Impensæ hæ novem dierum in exequiis faciendæ excedere non debent summam decem millium ducatorum computatis omnibus, præter Regalia populo Romano præstari solita; Et ut impensarum distributio justè fiat, tribus ex antiquioribus Cardinalibus, uni scilicet ex quolibet ordine, ac S. R. E. Camerario committitur.

2. Hoc tempore exequiarum expositum manet corpus defuncti in Sacello Sanctissimi Sacramenti, quod clathris ferreis oclusum est, ut per eos quidem conspici, sed non proprius ad id accedere possit.

3. Ante vel post sacrum funebre, quod cantatur, celebrant quotidie Cardinales Congregationes in Sacristia sancti Petri in quibus eligunt Conclavistas, constituunt ea, quæ necessaria sunt pro bono regimine Urbis, & status Ecclesiastici

& a

& ad alloquium admittunt Legatos Principes, Præfectum, Governatorem Urbis, Governatorem Burgi, & Conclavis, Conservatores Urbis Romanæ, aliosque quos omnes genuflexos audiunt, ut appareat eos Pontificæ dignitatis imaginem repræsentare. *De Luca, Rel. Cur Rom. disc. 3. n. 12.*

4. Conclavistæ, qui eliguntur, sunt imprimis duo, sive Clerici, sive Laici pro unoquoque Cardinali, qui ei sint à servitio; Senibus tamen, & infirmis, atque etiam iis, qui de Principum genere sunt, tertius indulgetur, qui familiares, domesticos, & continuos comensales ipsius Cardinalis per annum fuisse, & tunc esse debere statuit Pius IV. *Const. In eligendis §. qui servientes.* nec hos esse debere mercatores, ministros Principum, jurisdictionem aut dominium habentes temporale, neque Fratres aut Nepotes Cardinalium, etiamsi propriis expensis viverent.

5. Deinde pro communi servitio Cardinalium constituuntur: Unus sacrista cum Clero Coadjutore, duo Magistri Cæremoniarum, qui celebranti assistant, unus Religiosus pro confessionibus audiendis; Unus Collegii Secretarius cum uno tantum famulo; Duo Medici, unus

Chirurgus, cum uno aut duobus famulis; Unus Faber lignarius, unus Camentarius, duo Barbitonfores, cum uno aut duobus famulis, demum octo aut decem Bajuli, qui publicæ utilitati & commoditati omnium, veluti pro lignis portandis, serviant *Pius IV. cit. Const. eligendis. §. Sacrista.*

6. Hi omnes à Collegio Cardinalium non tamen ex familiâ alicujus Cardinalis, eligi debent per secreta suffragia usque ad Confessarium inclusive, & qui plura tulerint vota, ii inter conclavistas censentur, eisque salaria de publico solventur.

7. Admittuntur verò hoc tempore ut praxis docet majori numero ministrantes, quàm dicta constitutio Pii IV. prescribat, verum id necessitate ita urgente permittitur, postquam auctus est numerus Cardinalium sub Sixto V.

8. Porro nono & ultimo die exequiarum post sacrum funebre habetur oratio in laudem defuncti Pontificis, & exequiæ concluduntur.

§. 5.

De ingressu in Conclave; De Clausura; iisque quæ electioni præmittuntur; de qualitate eligentium & eligendorum.